

5745.

Q. D. B. V.

EXCERPTA CONTROVERSIARUM

DE

USU SENATUS-
CONSULTI
VELLEJANI

TAM IN FORO ROMANO
QUAM IN FORO GALLICO

Quas

P R A E S I D E

VIRO Nobilissimo, Amplissimo,
Consultissimo atq. Excellentissimo

DN. JOHANNE HENRICO
FELTZIO,

J.U.D. Pandect. & Jur. Can. Prof. P.
Ordinario Celeberrimo,

Solenni disquisitioni sifit

FRANCISCUS PARADIS
Weissenburgensis, AUCTOR.

Ad Diem 25^{am} Febr. M DCC XL.

— * * —

ARGENTORATI,
Typis SPOORIANIS.

27114.

EXHERETAL CONSTITUTIONES
USI SILENTI
CONSTITUTIONES
APOLLINI
SCAMONIS ROMANORUM
SCAMONIS ROMANORUM
Dicitur deus
ALIO
Dicitur deus
HENRICO
EPISCOPO
TUDI TUDI Z JAC GUTTENBERG
ARCHICIRICHS RIBVDAE
THE 1300 1711

VIRO
PER-ILLUSTRI
DOMINO
DN. FRANCISCO
DIETREMAN
IN SUPREMA ALSATIÆ
CURIA SENATORI
EXCELLENTISSIMO
CIVITATISQUE COLMARIENSIS
PRÆTORI REGIO
DEXTERIMO
DOMINO AC PATRONO
MAXIME VENERANDO



*Antus est, Vir Per-Illu-
stris, pretiosarum virtu-
tum tuarum cumulus,
): (2 ut*

ut dispicienti mibi, quem hinc pae-
gellis protectorem quererem, nul-
lum certe dignius nomen occurre-
rit, quam illud, quod in TUA
persona supremus Alsatiæ Senatus
Civitasque Colmariensis quam
maxime honorat. Nihil dicam
de eruditione & justitia, quæ ex-
cellentem undiquaque animum
tuum comitantur atq; sustentant;
quippe functiones, quibus Rex
Christianissimus TE dignatus est,
has virtutes in pectore Tuo ad ulti-
mum perfectionis gradum perve-
nisse sat abunde demonstrant. Sed
illas potius in considerationem
trabam,

traham, quæ humanissimum atque benignissimum erga miserandi statūs personas, viduas, pupilos, similisque conditionis alias affectum atque propensionem declarant. Sane optimo fundamento ex humanitate IUA colligere possum, TE, Per-Illustrem Virum, æquissima mente esse laturum præsentem meum conatum, qui patrocinio tuo theses ad disputandum selectas devoto animo subjicit. Stimulum hujus rei auxit quotidiana favoris tui in nostram familiam experientia, quæ uti hactenus haud vulgarem felicitatis

tis nostræ partem confecit, ita fiduciam de continuando favore TUO adeo in nobis erexit, ut primitias basce juridicas Tuo nomini non consecrassæ nefas fore duxissem. Accipe ergo devotionis meæ pignus, atque simul votum, quod de diutissima salutis TUAE prosperitate Per Illustrisque nominis TUI conservatione fortunatissima coram divina majestate supplicibus suspiciis fundo,

**PER-ILLUSTRI NOMINI
TUO**

Addictissimus Cultor

PARADIS.



Controversia I.

*An Senatus-Consultum Vel-
lejanum sit justum?*

Mnis ille, qui justi-
tiam alicujus actus vel ne-
gotii considerare cupit, in-
quirere debet, an actus ille
cum regulis juris genera-
libus conveniat, necne; jam autem, si
video, Senatus- Consultum Vellejanum
permittere mulieribus, ut à fide data rece-
dant, hoc ipso conscientioso Juris Consul-
to in mentem venire potest, primam regu-
lam juris (*neminem esse ladendum*) non be-
ne esse observatam; qui enim à fide data re-
cedit, ille jus alteri per fidem datam quæsi-

A tum

tum intervertit , quod maxime foemina per beneficium Senatus-Consulti Vellejani facere videtur.

Adeoque hoc beneficium, quia ruptam fidem tolerat, magis dicendum esset maleficium ; quippe notum est, nulla privilegia posse introduci, nisi magna æquitate nitantur ; hinc forsitan est, quod in Gallia Senatus-Consultum Vellejanum non habeat usum, quæ tutius conscientiæ putavit , si foeminæ æque bene ac viri ad fidem servandam tenerentur.

Verum enim vero, quia Senatus-Consultum Vellejanum tantum circa fidejussionem, non circa alia negotia occupatum est ; videamus, an non hujus juris singularis ratio dari possit. Et primo quidem pro fundamento totius dispositionis ponenda est imbecillitas sexus, quæ talis est, ut facile possint foeminæ persuaderi aut blandimentis aut concussione ad intercessiones subeundas. Itaque Legislator ita potest ratiocinari ; quicunque ob imbecillitatem facile potest persuaderi ad fidejussiones, illi Legista.

gislator potest interdicere fidejussiones, si
potest interdicere, multo magis potest per-
mittere electionem, an velit fidem datam
servare, an vero per pœnitentiam à contra-
etu recedere; itaque nihil hoc in jure appa-
ret, quo aut juris naturalis regula, aut salus
publica violetur, vide *Regnerum Disp.* 25.
n.i. quin potius utraque rite constituitur,
quod quidem eo magis sualit reipublicæ
salus, quo corruptiores fœminarum Roma-
narum mores eo tempore cernebantur.

Specialis adhuc superest ratio pru-
dentia Romanorum civilis, quæ inter-
cessiones inter munera virilia retulit;
jam autem fœminæ exclusæ erant ab o-
mnibus officiis virilibus, ergo & ab inter-
cessione. Atque, cum in civilibus illis offi-
ciis, quæ fœminis interdicta erant, opera
nudumque earum ministerium versaretur;
in fidejussione vero etiam periculum
rei familiaris l. i. §. 10. *hoc titulo*; itaque
multo magis adimendum eis fuit hæc offi-
cium virile, ex prudentia civilis præcepto;
ita ratiocinante Schiltero nostro *Exercita-*

A 2 tione

tione ad Pandectas 28. §. 4. intercessio autem ad munera virilia ex principiis Romanorum ideo pertinuit, quia intercedere seu fide-jubere est defensionis quædam species & vicissim l. 2. & 3.

Controversia II.

An fœminæ illustres Comitissæ, Abbatissæ &c. possint exceptionem Senatus-Consulti Vellejani opponere.

Quia Senatus-Consultum Vellejanum de omnibus fœminis generaliter loquitur, ideo pro affirmativa sententia aliquis stare posset, præprimis, cum videat, fœminas illustres æque imbecillis intellectus esse, ac sunt fœminæ privatæ; neque enim splendor generis aut natalium melioris prudentiæ ideam imprimit, sed accidentalis est, & ipsum intellectum non attingit. Accedit, quod fœminæ privatæ sæpe prudentiores sint ipsis illustribus, cum negotiis dome-

domesticis atque œconomicis magis assue-
fiant, magisque applicentur. Itaque non
est, cur foeminae illustres deberent Senatus-
Consulti Vellejani exceptione carere.

Rationes tamen pro negativa sententia
videntur esse fortiores. Cu m enim Abba-
tissæ, Comitissæ, Principissæ & similis digni-
tatis foeminae virilia & altioris indaginis
negotia recte sustinere, in specie vero pro
tribunali sedere, jus dicere, commissiones
perficere, arbitri officium suscipere possint
per cap. 42. de electionibus in 6. cap. dilecta
de Arbitris cap. dilecta de Confirmatio-
nis utili & inutili, multo magis negoti-
um fidejussionis tanquam privatum &
infimæ sortis negotium expedire pos-
sunt. Qui enim autoritatem suam in-
terponere potest in causis publicis, ille
certe in causis privatis fidem suam sine ullo
dubio poterit interponere; &, si foeminae
aliquando creditur in sententia dictanda,
cur ei non credetur in fide jubendo? Ita-
que haec omnia suadent, in talis dignitatis
foeminis imbecillitatem intellectus à legis-

A 3 latore

latore non esse præsumendam, præcipue,
cum legislatori turpe esset, fœminam in
dignitate constituere, & tamen deinde
imbecillitatem ei affingere velle, quæ à
dignitatis exercitio debet esse aliena.

Ex his igitur patet, Senatus-Consultum
loqui tantum de plebejis illis & minorum
gentium mulierculis, quæ in pulvere pri-
vato vitam degunt, atque ad munera &
honores civiles aditum non habent. Illud
quidem negandum non est, tempore Justi-
niani ipsam Augustam seu Cæsaris uxorem
judicare non potuisse; sed per se tamen à
judicando non arcetur, si constituta sit vi-
caria, vel vicem tenens; &, licet ponam,
Reginam tempore Justinianæ non habu-
isse facultatem judicandi, non tamen exin-
de sequitur; ergo non habuit facultatem
fidejubendi; partim, quia est in dignitate
constituta excellentiori, partim quoque,
quia in reliquis negotiis Augusta æque be-
ne, ac Princeps legibus soluta est, salva sem-
per Augusti seu Principis autoritate.
Injurium ergo potius esset, fœminis illu-
stribus

stribus privilegium Senatus-Consulti Vellejanii adjudicare velle.

Conferatur circa hanc quæstionem *Heringius in tractatu de fideiussionibus cap. 7. n. 517.* qui gloriatur, se primum esse, qui in hac materia nullum prævium sectus sit, & magistrum semetipsum habuerit. Conf. omnino etiam *Schilterus ad ff.* qui distinctius hic incedit.

Controversia III.

*An famina possit renuntiare
Senatus-Consulto Velle-
jano?*

Regula quidem est, quemlibet juri pro se introducto renuntiare posse; sed id tamen limitationem recipit, si renuntiatione illa publicæ utilitatis finis haud turbetur; sic filiifamilias mutuam pecuniam accipientes non possunt renuntiare Senatus-Consulto Macedoniano, *leg. 7. §. 14.* *leg. 38. ff. de pactis. leg. 1. pr. de Senatus-*
Con-

Consulto Maced. quia non tantum in filiorum familias, sed ipsorum patrum imo publicæ utilitatis favorem est introductum ; sic ex analogia Juris Pontificii Clerici habent beneficium fori, ita, ut non possint coram judice seculari conveniri ; non tamen poterunt foro Ecclesiæ neque expresse neque tacite renuntiare, quia hoc privilegium non in singulorum Clericorum favorem , sed totius clericalis ordinis gratiam introductum est, imo in gratiam ipsius jurisdictionis Ecclesiasticæ. His præsuppositis videtur, fœminam quoque non posse Senatus Consulto Vellejanō renuntiare, quia illud Senatus-Consultum non in hujus vel illius favorem introductum esse constat, præprimis, cum videatur absurdum esse, imbecillitati propriæ renuntiare velle, cum eodem jure stultus atque prodigus stultitiæ seu prodigalitatí propriæ renuntiare possit.
His tamen non obstantibus contraria sententia verior est, quæ statuit, mulierem de jure sibi competenti & vi Senatus-Consulti

sulti edoctam renuntiare posse Senatus-
Consulto Vellejano; non enim imbecilli-
tas fœminarum tanta est, ut possit compa-
rari lubricitati minoris ætatis, aut insaniæ
ipsius furiosi; supponimus enim fœmi-
nam majorenem, & de vi Senatus-
Consulti certioratam, ut possit deliberare per
aliquod temporis spatium, an consultum
sit, huic beneficio renunciare, necne?
Neque porro hoc privilegium in fœmina-
rum collective sumptarum favorem est
introductum, sicuti privilegium fori cleri-
cis collective sumptis datum est; sed in
singularum fœminarum distributive sum-
ptarum utilitatem hoc Senatus-Consultum
proditum est.

Fundamus sententiam nostram in leg. 32.
§. 4. ff. *hoc tit.* quæ ita habet: si mulier pro
eo, pro quo intercesserit, judicium parata
sit accipere, ut non in veterem debitorem
actio detur, quoniam Senatus-Consulti
exceptionem opponere potest, caverre de-
bebit, exceptione se non usuram, & sic ad
judicium ire; si ergo mulier potest caverre,

B

Sena-

Senatus-Consulto Vellejano se non usu-
ram; utique poterit etiam renuntiare.

Antonius Faber quidem negat, ex hoc
textu allegato renuntiationem mulieris es-
fendi posse, quia in eo nihil dicitur de re-
nuntiatione sed tantum de cautione;
magnam autem differentiam esse inter
cautionem & renunciationem; sed re-
spondetur; licet verum sit, legem tantum
de cautione loqui; tamen illud diffiden-
dum non est, hanc cautionem in effectu es-
se ipsam renuntiationem; qui enim cavet,
se nolle e. g. debitum centum thalerorum
petere, ille sine dubio renunciat illis cen-
tum thaleris. Itaque patet exinde, *Anto-*
nium Fabrum id facere, quod Galli *chaffer*
aux mots vocant; nam nec ipse modo ci-
tatus Author diffiteri debet, renuntiatio-
nem huic Senatus-Consulto Vellejano à
muliere faciendam expressis verbis esse per-
missam in *Auth. matri & aviæ Cod. quan-*
do mulier tutoris offic. quæ hujus est teno-
ris: matri & aviæ secundum ordinem tu-
telam etiam ante agnatos subire permitti-
mus,

mus, si inter gesta nuptiis aliis & Senatus-
Consulti Vellejani auxilio renuntiaverit.
Ergo exinde claret, legislatorem expresse
sexui fœminino concessisse facultatem re-
nuntiandi, quam tantum eo casu habere
non possunt, si sine deliberatione prævia
cæco impetu juri suo renuntiare vellent.
Patet denique ex his omnibus, imbecillita-
tem sexus fœminini in negotiis deliberatis
à legislatore in fœmina non præsumi; ita-
que sequetur exinde, fœminam optima
ratione juri suo renuntiare posse.

Controversia IV.

*An fœmina obligetur, si æta-
te major post biennium ite-
rato se pro marito obliga-
verit?*

Certum est, fœminas pro maritis inter-
cedentes æque bene exceptione Sena-
tus-Consulti Vellejani adjuvari, ac si pro

B 2 ex-

extraneis intercederent; mariti enim per-
suasionibus uxor magis est obnoxia, cum
semper ejus brachio quasi adhæreat, &
blanditiis plus justo credere prona sit; hinc
etiam videtur, fidejussionem pro marito
adhuc imbecillioresse seu invalidior-
rem illa, quæ fit pro quovis extraneo; hinc
quæritur? An fœmina semel pro marito
intercedens, si intercessionem post bien-
nium repetierit, nihilominus possit exce-
ptione Senatus-Consulti Vellejani se tue-
ri? Contra fœminam militat generalis re-
gula, quæ continetur in *leg. 22. de Senatus-
Consulto Vell.* ubi dicitur, mulierem ætate
majorem post biennium iterato pro extra-
neo se obligantem exceptionem Senatus-
Consulti Vellejani opponere non posse;
quia sibi imputare debet, si, quod sæpius
cogitare poterat & evitare, non fecit, sed
ultra firmavit; neque poterit opponi,
hancce legem de extraneo tantum non
autem de marito loqui, cum graviter sen-
tentiam hanc corroboret *Nov. 61. Cap. i.
§. 1. & 2.* in qua permittitur marito, rem
do-

dotalem hypothecare, vendere, aut quovis modo alienare, si consensus foeminæ geminatus post biennii tempus elapsum accedit; imo ipse Imperator se refert ad leges de intercessionibus scriptas, & rationem addit, cur geminatum mulieris consensum ad obligationem producendam validum esse velit; plura namque ex primo mox auditu delinquuntur à muliere quippe mariti seductionibus facile decepta & propria negligente jura; cum vero in plurimo tempore cogitaverit pro negotio, erit forsitan cautior.

Contraria tamen sententia solidiori nititur fundamento ob *Nov. expressam 134. Cap. 8. Et ob auth. si qua mulier Cod. ad Senatus-Consultum Vell.* quæ de intercessionibus mulierum ex professo agentes ita disponunt: si qua mulier crediti instrumento consentiat proprio viro, aut scribat, & propriam substantiam aut seipsum obligatam faciat, jubemus, nullatenus hujusmodi valere aut tenere, sive semel sive multoties hujusmodi aliquid pro eadem re fiat, sive privatum sive publicum sit debi-

B 3 tum,

tum, sed ita esse, ac si neque scriptum esset,
nisi manifeste probetur, quod pecunia in
propriam ipsius mulieris utilitatem expres-
sa sit; ex his itaque patet, mulierem nullo
modo pro marito aut fidejubere aut bona
sua seu propriam substantiam pro marito
oppignorare posse; imo ampliant interpre-
tationem hujus *Novellæ Doctores*, ita, ut
mulier pro marito fidejubens nequidem
Senatus-Consulto Vellejano renuntiare
possit; neque renunciationem valere,
quamvis saepius fuerit repetita, nisi in spe-
cie *Nov.* allegatæ seu *Auth.* si qua mulier.
jurato renuntiaverit; tunc enim jure Ca-
nonico & in praxi valere notat *Strykius de*
usu hodierno Pandectarum ad hunc titu-
lum §. II.

Neque nobis obstat in rationibus du-
bitandi allegata *Nov.* 61. *Cap.* 1. si enim ca-
sum illius *Novellæ* bene quis secundum
omnes circumstantias penitaverit, & cum
Nov. 134. contulerit, statim videbit, inter
istos duos textus nullam esse pugnam ne-
que antinomiam; in *Novella* enim 134.
pro-

prohibetur fœmina, propriam substani-
tiam aut seipsam obligatam facere, sed in
Nov. obstante fœmina neque se neque
propriam substantiam obligat, sed tantum
consentit in alienationem rerum à marito
propter nuptias donatarum, quarum re-
rum uxor neque dominium neque possef-
sionem neque usumfructum habet, con-
tra clarum est uxorem in *Nov.* 61. contra
Constitutionem *Novella* 134. nihil agere;
imo, etiam si quis dicere vellet, fœminam
neque futuro interesse in favorem mariti
renuntiare posse; tamen nobis non con-
trariaretur, quia eadem *Novella* 61. expre-
sse distinguit inter maritum, qui plura bona
præter res propter nuptias donatas possidet,
& inter illum, qui nihil amplius possidet;
nam in hoc ultimo casu, licet secundo
vel frequenter consentiat mulier, nihil o-
minus causa ad intercessionis rationem fer-
tur, eo effectu; ut perpetuam habeat ex-
ceptionem Senatus-Consulti Vellejani.
Concludimus ergo, fœminam quidem
marito consensum geminum adhibere
posse,

posse, ut res propter nuptias donatas hypothecet, aut vendat; sed suam personam propriam suaque bona propria pro marito obligare non posse; etiam si vel centies intercessionem suam repetierit.

Controversia V.

An fæmina obligetur ex intercessione juramento confirmata?

Foeminam obligari ex intercessione juramento confirmata, non tantum jura menti indoles, sed & legis Civilis ratio demonstrare potest; qui enim jurat, ille non tantum se homini obligat, sed etiam ipso DEO, quem ut testem atque vindicem invocat in casum perfidiæ; unde etiam juris Canonici authores non tam justam quam piam regulam tradidere, quæ hæc est: quicunque juramentum servari potest sine detrimento salutis æternæ, toties illud est obser-

observandum per Cap. 9. X. de jure jurando. sed quis non videt foeminam intercessionem juramento confirmatam adimplere posse, sine propriæ salutis jactura; nec peccatum est, obligationi, quam quis contraxit, satisfacere velle.

Confirmat in nostro casu proposito opinionem affirmativam Auth. quæ legi I. Cod. si adversus venditionem subjicitur . . . Sacra menta puberum sponte facta super „ contractibus rerum suarum non retrahendis inviolabiliter custodian tur; si ita que minores possunt juramento confirmare negotia sua, ad eum effectum, ut beneficium in integrum restitutionis non habent; certe etiam foemina, quæ maior est, juramento quoque poterit confirmare intercessionem ad eum effectum, ut beneficium Senatus-Consulti Velleiani opporre non possit; & hanc sententiam sequuntur Frantzkius ad Senatus-Consultum Vell. num. 27. 28. Hottomannus tit. 3. observat. 3. n. 5. Fachinens lib. 2. Controversiarum Cap. 61.

C

Nos

Nos tamen non obstantibus tam legibus quam authoritatibus doctorum defendere conabimur, fœminam ex intercessione jurata non esse obligatam secundum præcepta juris Romani; hoc enim juramentum consideratur ut accessorium illius actus, cui adjicitur, si principale negotium validum est, juramentum ei accedens etiam censetur validum, si autem invalidum est, juramentum etiam invalidum erit. Sic, quia intercessio mulieribus à Romanis legumlatoribus est prohibita, in tantum, ut nequidem naturalis obligatio in fœmina radicetur, hinc etiam juramentum intercessioni accedens non potest contra intentionem legislatoris id confirmare, quod noluit esse ratum. Neque nobis obstat *Auth.* supra allegata, sacramentum enim in illo casu accedit actibus per se validis plenam obligationem tam civilem quam naturalem producentibus, & tantum per in integrum restitutionem rescindendis; ideo etiam juramentum accedens potest confirmare negotia puberum

rum per se valida, ad eum effectum, ut restitutio in integrum non amplius locum habeat; præprimis, cum secundum communem doctorum sententiam juramentum corporale faciat ex minori maiorem. Sed in nostro casu, ubi foemina jurato pro alio intercedit, illa nequidem naturaliter est obligata; itaque juramentum accedit obligationi in totum reprobatae & pro irrita declaratae; ergo ab actibus minorum ad actus foeminarum ex dicta *Auth.* non valebit consequentia. Si tamen secundum Jus hodiernum & principia Juris Canonici casum decidere vellemus, utique intercessio juramento confirmata foeminam in tantum obligabit, ut non possit exceptio nem Senatus-Consulti Vellejani opponere, cum juramentum hodierno Jure in hoc casu tacita sit renuntiatio; imo Jurisiurandi in ipsa renuntiatione ille est effectus, ut, quam primum constat, juramentum à foemina esse interpositum, non amplius petatur probatio, eam de jure sibi competenti edoctam atque certioratam fuisse, cum

C 2 jura-

juramentum loco certiorationis sit, & ad
jurisiurandi interpositionem ea delibera-
tio requiratur, quæ ad renuntiationem.

Controversia VI.

*An Senatus-Consultum Vel-
lejanum in Gallia locum
habeat?*

Molineus tractatu de usuris quæstio-
ne 38. n. 292. censet, Senatus-Consul-
tum Velleianum retineri servarique in
Gallia, non obstante, quod mulier pos-
sit pro marito mutuum accipere, vel ali-
ter se obligare, ait enim, id in Gallia ideo
esse receptum, quod inter virum & uxo-
rem plerisque in locis vigeat bonorum
communio; hinc enim præsumi mari-
tum obligari, & fideiubere, aut mutuum
accipere in communis societatis incre-
mentum: itaque distinctionem adducit
inter

inter fideiussionem pro marito & fideiussionem pro tertio seu pro extraneo. Illo casu Senatus-Consultum Velleianum locum non habere, non quia abrogatum, sed, quia impeditur ob qualitatem uxoris, quæ in perpetua societate cum marito est. Hoc casu utique Senatus-Consulto Velleiano mulierem adiuvari, neque posse aliquod vestigium ostendi, quo apparet, Velleianum ratione tertii esse abrogatum. Imo ampliat sententiam suam adeo, ut etiam neget, mulierem obligari pro marito intercedentem, si jam facta fuerit bonorum separatio, si pro viro intercesserit non societatis causa, sed in rem mariti, eorumve, qui marito sunt conjuncti, aut, si fidejusserit pro marito in aleam profusuro.

Sunt tamen Doctores, qui Velleianum in Gallia locum non habere dicunt, inter quos est *Claudius de Ferriere*, *Advocatus Parisiensis* qui in *Introductio ne ad Praxin*, quam ad ordinem Alphabeticum instruxit, concedit quidem Se-

natus. Consultum Vellejanum saeculo 16.
adhuc in usu fuisse, sed per edictum *Hen-
rici IV. Regis Galliae* anno 1606. expresse
abrogatum esse, foeminasque valide ob-
ligare se posse pro alio ostendit, modo si
habeant maritos, mariti in obligationem
consentiant, & authoritatem ad validum
fidejussionis effectum praestent, Verba ejus
haec sunt : „Par l'Edict du Roy Henry IV.
„de l'an Mil six-cent six le Vellejan est
„abrogé presque dans toute la France,
„en forte, que les femmes peuvent vala-
„blement s'oblier pour autrui, sans re-
„noncer au Vellejan ; pourvu que, si elles
„sont mariées, leurs maris y consentent
„& les autorisent à cet effect ; supposito
itaque edicto hoc jus commune in Gal-
lia ratione fidejussionis foeminæ hoc est,
ut fere in omnibus locis foeminæ Senatus-
Consulto Velleiano non amplius relevan-
tur, sive sint conjugatæ, sive non sint ;
hoc tamen cum temperamento, ut illa
fidejussio mulieris valida sit, cui accesserit
maritalis, ut itadicam, authoritas.

Vide-

Videmus itaque, non in totum Senatus-Consultum Velleianum abrogatum esse in Gallia. Sic, cum uxores sine consensu & authoritate maritorum se pro aliis obligant, videtur beneficij Velleiani adhuc hodie usum esse; sollicite enim distinguit edictum illud inter foeminas, ut barbare loquar, authorisatas & non authorisatas.

Justitia edicti in eo forsitan quærenda est, quod mulieres instructæ consensu maritali non præcipitanter, non inconsulto sed prævia deliberatione obligationes tales in se suscipiant; quod autem prævia deliberatione obligationem quandam produxit, jure naturali æquum est, ut etiam sustineatur. Neque foemina eo in casu poterit dicere, se esse deceptam, quia non sola, & propriæ libidini relictæ pro alio fideiussit, sed consentiente, approbante & ratihabente eo, qui naturaliter maximam ipsius curam habet; imo, qui etiam ex civili ratione ob introductam bonorum communionem tam de lucro quam

quam de damno ex fideiussione oriundo
participare potest.

Cæterum *Auth.* si qua mulier, qua
fœmina prohibetur pro marito intercede-
re, in Gallia Consuetudinaria locum non
habere facile concessero, jurisque huius
rationes in consuetudinaria bonorum
commune optime *Molinanus*
& alii posuerunt.



Strassburg, Diss. 1711-15

X 2310583

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13

8
7
6
5
4
3
2
1
Inches
Centimetres

745.

Q. D. B. V.

EXCERPTA CONTROVERSIARUM

DE

USU SENATUS-
CONSULTI
VELLEJANI
TAM IN FORO ROMANO
QUAM IN FORO GALLICO

Quas

P R A E S I D E

VIRO *Nobilissimo, Amplissimo,*
Consultissimo atq; Excellentissimo


DN. JOHANNE HENRICO
FELTZIO,

J.U.D. Pandect. & Jur. Can. Prof. P.
Ordinario Celeberrimo,

Solenni disquisitioni sifit

FRANCISCUS PARADIS
Weissenburgensis, AUCTOR.

Ad Diem 25^o Febr. M DCC XL



ARGENTORATI,
Typis SPOORIANIS.